



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*FILIALI QUIDEM* PAROECIALIS ECCLESIA OPPIDI VULGO MONTECRISTI, BEATAE MARIAE VIRGINI

SCILICET POPULARI SERMONE «SANTÍSIMA VIRGEN DE MONSERRAT» DICATA,

AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Filiali quidem et vehementi dilectione qui ab ineunte aetate Beatam Mariam Virginem diligimus, nunquam profecto eiusdem cultum pietatemque augendi et apud populum fidelem dilatandi praetermisimus opportunitatem. Praeter has aliis Nos movemur rationibus: cupimus scilicet templa extollere quae antiquitate, quae artificii, quae paene fidelium interminata peregrinatione, clare eminent. Cunctas has sane causas reperimus in ecclesia paroeciali oppidi Montecristi ubi pientissime Beata Maria Virgo colitur, quam populus patrio sermone «Santísima Virgen de Monserrat» vocitat. Cum igitur Venerabilis Frater Aloisius A. Carvajal Rosales, Episcopus Portus Veteris, litteris die quinto et vicesimo mensis Martii superioris anni datis, ab hac Apostolica Sede, suo et cleri et fidelium nomine, petierit ut aedes illa, in finibus suae dioecesis posita, dignitate Basilicae Minoris ornaretur, Nos aequo sane animo expostulationibus adhibitis concedimus. Idcirco ea quidem probantes, quae Congregatio pro Cultu Divino, factis olim a Nobis potestatibus, hac in re statuit, Apostolica Nostra auctoritate, paroeciale templum B. M. V. quam «Santísima Virgen de Monserrat» vocant, in numerum Basilicarum Minorum redigimus, concessis pariter iuribus et privilegiis congruentibus, modo ea servantur quae Decretum «De Titulo Basilicae Minoris» requirit, die VI mensis Iunii factum, anno MCMLXVIII. Plurima tandem prece Ipsam imploramus Ecclesiae Matrem ut usque hanc fidelium communitatem praestet tutam, quae tam pie Eandem et fidenter colit. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die tertio mensis Iunii, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana
